



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 8. Inuidorum exempla è scriptura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

VIII.
 INVIDO-
 RVM EX-
 EMPLE E
 SCRIPTV-
 RA.
 S. Cypri-
 an. serm.
 de zelo
 & liuore.

Atque in primis S. Cyprianum audiamus, cuius hæc sunt: *Quale malum est, quo Angelus cecidit; quo circumueniri & subuerti alta illa, & præclara sublimitas potuit; quo deceptus est, qui decipit? Exinde inuidia grassatur in terris, sicut scriptum est: Inuidia Zabuli mors introiit in orbem terrarum; imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius. Hinc noua fraternitatis odia, dum Abel iustum Cain zelat iniustus, dum boni malus inuidia & liuore persequitur. Iniuste oppressus est, qui iustitiam primus ostenderat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quòd Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus liuoris exarsit. Et quòd Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de amulatione descendit, postquã id, quod sibi in visionibus prosperam fuerat ostensum, simpliciter, ut frater fratribus exposuit, in inuidiã maleuolus animus erupit. Saul quoq; Rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpe repetitis innocentem, misericordem, mitem, lenitate patientẽ necare cuperet, quid aliud quã zeli stimulus pronocauit? quia, Goliath interfecto, & opere ac dignatione diuina tanto hoste deleto, populus admirans in laudes David prædicationis suffragio prosilyt. Saul simultatis atq; in-*
sectatio-

sectationis furias de liuore concipit. Et ne longum
faciã, pereuntes simul populi attendamus interi-
tum. Iudai nonne inde perierunt, dum Christo
malunt inuidere, quã credere? obtrectantes
magnalibus, que ille faciebat, zelo excacante de-
cepti sunt, nec ad diuina noscenda cordis oculos
aperire potuerunt. Que nos considerantes, fra-
tres charissimi, contra tantam mali perniciens
vigilanter & fortiter dicata Deo & vegetata
pectora nostra muniamus. Aliorum mors profi-
ciat, ad nostram salutem: imprudentium pœna
providentibus conferat sanitatem. Sed fortasse
erunt, qui à se procul hoc vitium exulare,
arbitrentur; neque existiment, his tam cala-
mitosis temporibus, inuidiã locum esse. Si-
quidem miseris nemo inuidet. Quis igitur
inuideat, si non est cui inuideatur? Vt enim
videt ingratos intabescit q̄, videndo, Successus ho-
minum,

Vix q̄ tenet lachrymas, quia nil lachry-
mabile cernit

inuidia; sic vicissim pabulum non habet, vbi
nihil videt, nisi meras calamitates. Posset igi-
tur aliquis existimare, malam hanc herbam,
succisa radice, non pullulare. Vtinam ita
esset! haberemus saltem hunc è miserijs no-
stris fructum, quòd tam detestabili vitio ca-
reremus.

Vtinam

Quid l. 2.
Metam.
fab. 15.